



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

3. Corrigenda, quæ tolerantur & quomodo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

6. Quamlibet sepe relinquat.

Vading.
in Annal.
1221, n. 2.

diu tolerabo? Si peteres à Christo, diceret fortè ille tibi, quod ad aliam interrogationem respondit S. Petro: Septuagesies septies, hoc est, si septies sumas numerum septuagesimum plusquam quingenties, ut scilicet tantum portes, quantum mali perseverantia charitatem & patientiam tuam exiget. Eregium præceptum hujus in patiendo longanimitatis, atque perseverantiæ dedit per literas Sanctus Franciscus B. Petro Cathany Ministro Generali, in quo hæc inter cætera continentur: *Mi frater, tibi commendo in tantum (scilicet Patientiam) ut quicumq; tibi impedimentum fecerint, sive fratres, sive alij, etiamsi te verberent, omnia debes habere pro gratia, & ita velis, & non aliud, & dilige illos, qui ista faciunt tibi, & non aliud velis de eis, nisi quantum Dominus dederit tibi, & in hoc dilige illos quod velis, ut sint meliores Christiani: in hoc volo cognoscere, si tu diligis Dominum, & me servum tuum & suum; si feceris istud, videlicet, quod non sit frater in mundo, qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quod postquam videris oculos tuos, nunquam recedat sine misericordia tua; & si non quereret, tu quaras ab eo si vult misericordiam: & si millies postea appareret coram oculis tuis, dilige eum plusquam me, & ad hoc ut trahas eum ad bonum, & semper miseraris talibus.*

§. 3.

Corrigenda, quæ tolerantur & quomodo.

Non ideo tamen placet Charitati, ut ita toleretur proximus, ut defectu correctionis abeat in pejus; vult ipsa delinquentes corrigi, & qui dissimulant aut lenta remedia admovent, contra bonum proximi facere censet (in qua maximam partem hominum peccare censuit vir gravissimus, doctissimus æquè, ac sanctissimus P. Iacobus Laynez nostræ Societatis post S. Ignatium Generalis Præpositus) sed vult, ut illud faciat, ut ait S. Chrysostomus: *A mans, & dolens argue, increpa, obsecra, in omni patientia*, dicebat Thimotheo S. Paulus, ubi S. Joannes Chrysostomus bene ponderat ista duo verba, *omni patientia*, hoc est suis numeris omni ex parte absoluta atque perfecta, ut nihil illi desit, nihil in illa ad perfectissimam patientiam desideretur. Venit aliquando unus aliquis ad B. Franciscum de Salez peccata confitendo expiaturus; sed ecce dum peccata sua depromit, ita illa denarrat, ac si historiam aliquam recitaret, seipsum quasi auscultans, & sibi suisque verbis applaudens. Videns vir sanctus tam malè dispositum penitentem, cepit amare flere, & in singulis ac suspiria

Charitati non repugnat correctio fraterna.

suspiria effundi. Petit continuo
pœnitens ab illo an malè haberet.
Respondit: Minimè verò, sed tu
me pejus habes. Ego, inquit pœ-
nitens, nihil mali sentio, laus Deo.
& profecutus est suam confessio-
nem, ac enormia, sine animi sen-
su proferre in medium; hîc magis
lamentari B. Franciscus, donec
secundo rogat illum pœnitens,
cur ita fleret? Tum se flere respō-
dit quòd ipse de tantis sceleribus
se accusans non fleret, paucaque
addidit, quibus in se reversus pœ-
nitens, & duritiem suam admira-
tus, qui non fleret ipse ob ea, quæ
innocentibus tantam flendi occa-
sionem ministrarent, abiit etiam
& ipse in lacrymas, perfectâ con-
tritione per confessionem expia-
tus, novam planè vitam exorsus
est.

2. Francisci de Sales compatio in peccatorem,
Ad Gal. 6. S. Paulus peccantem vult in-
strui in spiritu lenitatis, hoc est
mansuetudinis spiritu à Deo im-
petrato, ait S. Chryf. & id vult
fieri eâ suavitate & circûspectio-
ne, quâ uuitur amicus Medicus
dum luxatum brachium suo loco
restituit, ut vox græca καὶ ἀπὸ τῆς
insinuare videtur: atque ut ait
S. Augustinus, ægritudinem quo-
dammodo & miseriam ejus susci-
piendo quemadmodum, inquit,
seinclinat, qui manum jacenti
porrigit; non enim se ita abji-
cit, ut humi cum altero jaceat;
sed incuruat tantum ut jacentem

erigat: ita induendus est quidam
commiserationis affectus, qui nos
nescio quâ amoris ac benevolen-
tiæ catenâ proximo jungat, &
ad manum adiutricem patienter
admittendam disponat. Diabolus
diabolum non expellit, ajebat ex
antiquis vir in istis exercitatissi-
mus; nec tu cum impatientia tua
alterius impatientiæ medeberis.

Plato cùm à mancipio pœnas
repetendas ob culpam gravem cē-
feret, atque animo se commotum
persentiret, amicū rogavit,
ut vicariam sibi operam præsta-
ret: quia, irascor, inquit. P. Gal-
par Berzæus Zelandus vir à virtu-
tibus & prodigiis in India notus,
cùm Olyssipone ante ingressum
in Societatem famulum ageret,
quadam die ab hero præcipiti irâ
correpto injustè fustō exceptus
cùm fuisset, tacuit, tum quidem;
sed paullo pōst ubi ira deferbuif-
set, ad herum jam sui compotem
cum baculo in manu rediit, quē
& illi obtulit, dicens, nunc si cul-
pa id posceret, verberaret modò,
aliàs non iram, sed rationem ad
consilium in similibus eventibus
advocaret.

Siste impetum, ait S. Augusti-
nus, dum saneris prior. Id monuit
S. Brigitam Christus Dominus,
quæ in domestici alicujus repre-
hensione intra moderati animi le-
ges impetum non continnerat, &
quatuor ab illa commissos erro-

3. Sed non fiat irato jam animo.

4. Juxta Christi monita data S. Brigitæ. Epist. ad Galat.

res ostendit. 1. ipsa in impatientia motus esse prolapsam, quod nec verbum unicum tranquillè pati potuisset, cum ipsum Christus Sponsus & Dominus inter virgarum ictus, & verborum contumelias os non aperuerit ad exemplum, & robur in similibus addendum. 2. usam esse verbis mordacibus, & voce altiori, permittis exprobrationibus, cum ipse in cruce positus ab inimicis pacatè, & cum silentio ista pertulisset. 3. redundare ista in sui contemptum, pro cuius amore tantillum pati noluisse. 4. malum exemplum domesticis datū, quos bonis actionibus ad virtutis amorem excitare debuisset; itaque quatuor deinceps servaret. 1. caveret irā abripi. 2. si prima ira commotio insurrexerit, illam subfidere permittat tantisper dum penitus se remisisset. 3. si culpa iterum ad examen mentis vocata correctionem mereri videtur, illam exerceat cum omni mansuetudine. 4. si dubium remaneret, omnia silentio involueret.

5.
Sine correctione non fiat vera amicitia.

Vides plerumque animū charitate præditum, inter tolerantia dulcedinem, & correctionis amaritiam hæere suspensum, & nisi necessitas aut evidens utilitas exigat ad prioris partes magis inclinare, & quidem Christo auctore, cuius est in tenebris luce suā viam aperire; facienda tamen est ami-

ca correctio, aut ab amicitia præscriptionibus recedendum. Monere & moneri proprium esse veræ amicitia, ait Tullius: certè si quod ille dicit, verum est; amicum qui intuetur, tamquam aliquid exemplar intuetur sui, & erga amicum nos eodem modo affectos esse oportere quo erga nosmetipsos sumus, nullamque in amicitia pestem esse majorem quam adulationem, blanditias, assentationem & omnium maximè simulationem; nisi enim amici apertum pectus videas, tuumque illi ostendas, nihil fidem & exploratum esse posse: si inquam hæc vera sunt, satis patet proximi, qui nobis in Christo debet esse amicissimus, defectus graviores non esse dissimulandos, si nostrā monitione emendari posse videantur.

Certè dixit S. Gregorius Nazianzenus nos ultimos scire ea, quæ ab aliis condemnantur in nobis; cur quæso id ego amicitia causa amico non præstem, ut id in cognitionem ejus veniat, & emendet, & publici sermonis materiam auferat? Augustus Cæsar filiam habuit impudicitia labe totâ urbe infamem, quod tamen ipse ignorabat; ubi rescivit, publico edicto deturpatam in exilium relegavit, & scelera, quorum pars latebat, parum potens iræ in omnium cognitionem protulit: deinde cum interposito tempore

Lib. de Amicitia.

6.
Amici docendi sunt ab amicis ea que apud ipsos fieri ignorant.

Exemplum Christi.

in locum iræ subiisset verecundia, gemens quòd non illa silentio pressisset, quæ tamdiu nesciunt, exclamavit: Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Mæcenæ vixisset; quia scilicet ab illis ut fidis amicis tam de filia turpitudine, quam de remedio adhibendo monitus fuisset.

Hoc expectat vera erga proximum charitas; potesque homini verà charitate erga proximum prædico hoc in ore ponere elogium, quod Antipatro dixit Phocyon: Non potes me assentatore, & amico uti. Veros amicos, quales S. Basilium & Gregorium fuisse fatentur omnes, magnà in defectibus suggereendis libertate uti, relicta ab illis posteritati monumenta testantur. Philo coquum inter & medicum hoc intercedere discriminis dicit, quòd ille non tam hominis sanitati, quam voluptati serviat; hic è contrà utilia procuret, blanda & nocentia avertat: atque hoc veri erga aliquem amoris esse argumentum.

7. Exempla Christi Petrum castigantis.

Christus Dominus Petrum uti amavit impensè, ita ubi cespitavit, continuò verbo castigavit, nunc asperius; ut cum illum Satanam, hoc est adversarium appellavit, atque à se abegit; nunc etiam minando, ut cum restitanti dixit: *Nisi laveris te, non habebis partem mecum*: nunc familiarius, sed fortiter: *Quid ad te? tu me sequere*:

imò monitionibus suis non deferentem permisit cadere, optans habere discipulum humilem, & sui dissidentem potius, quam superbum, & alios contemnentem. Apostolos omnes non semel de primis dignitatibus contendentes, admonuit verbis amicis, nec quod mereri videbatur tam insolens & repullulans ambitio, verbo asperiore castigavit.

8. Et Martham.

Inter feminas dilexisse Martham Evangelia testantur; cum sororem hæc videret ætate juniori se subducere, ut novi hospitis alloquio, quod ipsa etiam facere optasset, otiosè frueretur; meritò apud illum justam, uti videtur, querelam deponit: *Domine, non est tibi cura, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet*. Poterat Christus ejus querimoniam probare, & petitioni annuere, ac dicere: Meritò Martha conquereris, non debebat illa te junior suo arbitrio totum hospitem tractandorum onus in te rejicere; proinde jam dicam illi ut te juvet, erit postea alloquendi tempus, cum occupationes, quæ nunc urgent, defluerint: sed noluit Christus tam molliter cum illa agere, quam robustioris charitatis & patientiæ esse norat, voluitque utriusque augendæ suppeditare materiam, nos verò totamque posteritatem, quid potissimum curis nostris spectare

spectare oporteret, instruere.

9.
Promissa
correctio-
ni oratio-
ne.

Verum quia longè nos ab illo
cælesti Christi lumine, quo in
monendo utebatur, absumus; ex
virorum sanctissimorum consilio
antequam moneamus, duo nobis
præmittenda sunt, Oratio, &
Consideratio; prior lumen im-
petrabit, quid, quando, & qui-
bus verbis ista monitio instituen-
da sit; an rectè & parabolicè, ut
Nathan cum Davide; an prorsus
dissimulatè, ut qui regiæ fæ-
minæ sectionem venæ prorsus
abauenti, lanceolam mollibus
pannis obtectam, brachium dum
fricat, imperceptibiliter infixit;
an verò aperte & eo verborum
apparatu, quam res & qui monen-
dus est, exigere videbuntur; ad
quod Consideratio subsidio ve-
niat. Priùs ad *limum* quàm ad *lin-
guam*, dicebat S. Augustinus, &
quàm sæpè tum à Salomone in
Proverbiis, tum à Sapiente in Ec-
clesiastico de verbis nostris stater-
rà ponderandis monemur; quod
si unquam locum habere debeat,
maximè dum admonitionem pro-
ximi à nobis charitas exigit; tum
enim necessarium est, ut non in
linguâ cor, sed in corde sit lingua,
ut S. Spiritus monet, ut nobis si-
mul, & proximo prodesse possi-
mus.

Eccl. 21.

10.
Et hoc ne
pergant
esse mali.
Ep. 72.

*Diligendi ergo sunt mali, ut non
sint mali*, dicebat Macedoniano
S. Augustinus. Atque ad eundem

modum dixerò: *Tolerandi sunt ma-
li, ut non sint mali*. & si nimia tole-
rantia noceat, dicam; corrigendi,
castigandi, puniendi sunt mali, ut
non sint mali; quando scilicet eò
devenit malum, ut punire sit mi-
sericordiæ, tolerare & dissimulare
crudelitatis: *Sicut enim*, ait idem
Doctor, *est aliquando misericordia
puniens, ita est crudelitas parcens*.
Crudelitas est Pædagogus, qui
alumnus suum cum serpentibus
sinit colludere, nec puniendo re-
trahit: è contrà qui ferrèa mole
semisepultum violentè extrahere
conantur, nimia præcipitatione
contra misericordiâ delinquant,
quæ pedetentim terram eruit, &
quasi frustulatim malum amovet:
Medicus, qui in secunda aperien-
dæ vena tumultuariè procedit,
graviter interdum vulnerat: sit er-
go tolerantia longanimis, sit
quando toleratum est satis, cor-
rectio circumspecta: quæ non
eiusque differenda, donec quasi
aperto sinu amicè & tranquillè à
reo excipienda putatur: vix enim
unquam ad correctionem deve-
niendum erit, si tam benigna di-
spositio requiratur. Monendus
etsi nolit, volet postea, ubi pri-
mus impatientiæ impetus defer-
buerit. Obstetrices interdum par-
turientium dentibus impetun-
tur, nec idè ab opere cessant;
operam enim suam probandam
sciunt, ubi primi dolorum aculei
remi-

libi.

11.

Sed fiat

correctio

moderata

& pedet-

entium.

No-
ten-
alio
defe-
is c
pro-
non
fuit
Eri-

remiserint; & Medici à Phreneticis ingentia mala tolerant quæ dissimulant, quia illorum fontem non hominem, sed amentiam esse norunt. Ita facit is qui sincero amore proximi salutem procurat; tolerat, corrigit, reluctantem patitur, verba & contumelias devorat, dummodò desiderato salutis proventu potiatur.

Porro ut tolerantia tua suis numeris sit absoluta, vide ut nemini defectus aliorum, quos toleras, aperias, ne molestiam quam inde sentis, familiaribus manifestes. Laudatur Tobias, quod sepeliret mortuos, tu peccata proximi laudabilis multo, teste Chrysofomo, silentio velut humo obrue. *Commoriatur in te*, ait Sapiens, imò non tantum commoriatur, quod fit dum in te vitam, hoc est, omnem motum quo ad alios procedat, defectus iste amittit; sed etiam in te & tuo pectore sepulcrum inveniat: ne similis sis stulto, de quo ibidem Sapiens, qui quasi sagittam haberet in femore, subsistere nequit, nisi illam extrahat, & alterius aures & cor, defectum proximi propalando, velut venenato telo vulneret: in quo etiam interdum peccat nimia inter amicos cordium quasi communitas, dum quod in unius cordis recessu de proximi defectibus reconditum est, id inde in amici communem notitiam edu-

citur, fitq; dum exoneratur apud amicum animus, ut oneretur apud Deum conscientia, & charitatis in proximum, quæ defectus illius in silentio tolerat, merces deperdatur: occulta enim proximi macula, tuâ culpâ in plurium venit notitiam, dum amicus tuus, id quod illi in aurem insusurrafit, cum tertio eadem amicitia lege communicat, & hic etiam quarto; donec res publico quasi praconio celebretur, urbemque pervadat sicut guttas è tecto decedentes inter se misceri, & simul in unam collectas in plateas protrudi conspiciamus.

Ne dicas id amicitia, & communi inter amicos levamento, atque silentio permitti. Habes amicum nobilissimum Christum Dominum, ad cujus pedes vel coram Eucharistia, vel in imagine crucifixi prostratus cor tuum, quantum lubet, exonera, proximi errata ibi deponere, condonanda, & corrigenda: evitabis tum illa Scripturæ sacræ horrenda vocabula, quibus detractores Deo odibiles maledicti, & ipsa abominatio esse declarantur: evades damna tua, & aliena. Ut turris ex aggesto pulvere nitrato dissiliens, seipsam evertit, & vicina labefactat; ita fit, quotiescumque compages charitatis, quæ inter te & proximum ad instar turris fortissimæ deberet subsistere;

Qqq nescio

13.
Ne levandi quidem
mœtoris
causâ.

14.
Sed Deo
communi-
cando ad
auxilium
petendum.

nescio quâ flammâ linguæ & cupiditatis accensa dissolvitur, & perit. O quàm melius fecit ille Religiosus S. Bernardi affecla, qui dum animum nimis longâ alieni peccati tolerantia fatigatum levare vellet, ante altare B. V. onus illud deposuit, & solamen invenit: & alter, qui in tantum siluit, ut sanguinem venâ disruptâ evo-meret, sanctitatis futurâ præ-
nuntium? Hortatur ut id facias, S. Gregorius, & dicas hos duos versus ultimos tertij Psalmi Pœnitentialis: *Ne derelinquas me Domine Deus, ne discesseris à me: intende in adjutorium meum Domine Deus salutis meæ*: hos si perseveranter repetieris, auxilium, & dubio procul, & levamentum impetrabis.

Super 7.
Psalmos.

Ex omnibus dictis patet, quàm hoc officium charitatis peccata proximi tolerantis, imò & quantum lex justitiæ patitur, tegentis, acceptum sit Deo, præsertim cum in veteri instrumento per os Sapientis prædicari jussit: *Univerſa delicta operit charitas*; & in novo per S. Petrum proclamari: *Charitas operit multitudinē peccatorum*. Si universa obtegit, si multitudinem cooperit, quomodo non unum aut alterum facilius & propensius abscondet?

Prov. 10.

15.
Exemplū
tegentis
alienum
peccatum

In hanc partem propensi semper fuere viri sanctitate præstantes, è quibus unus inter Eremi incolas maximè celebris nobile

facinus designat. Accurrerunt & cæ-
ad illum certatim alij juniores, & cæ-
dixeruntque: O Pater, veni citò, & cæ-
ecce facinus horrendum, & detestabile: & cæ-
fæminam jam vidimus in unius Monachi cellulam ingredi-
entem: accurre, quæso, ut illa deprehendi possit. Surgit, & illis comitantibus, primus cellulam intrat, & primò intuitu advertit fæminam sub sportula delitescere; atque ut peccatum tegeret fratris, ipse quasi fatigatus sportulæ infedit, aliosque per omnes cellulæ angulos, & laribula prædâ investigare jussit; quam cum non reperissent, illos redarguit, quòd tam faciliè in fratrem insurrexissent: iisque dimissis ad delinquentem conversus, sermò illum admonuit, & tantæ charitatis demonstratione victum ad novæ vitæ studia convertit. Non tegit charitas peccata, ut foveat, sed ut igniculis in mantello suo absconditis illa consumat, & proximum liberet.

Filij Noë Sem & Japhet, dum retrocedendò pallium tegendæ patris ignominie humeris excutiant; ab eo evigilante benedictionem accipiunt, cum è contrâ Chanaam irrisor, probrosæ maledictionis telo percutitur, etiam in posteros propagando. Ita Christus nobis charitatis suæ benedictionem & patrocinium ad peccata nostra tegenda, ac remittenda

tenda pollicetur ; si id antè erga proximos officij prestiterimus.

CAPUT XXVI.

De amandis iis, qui contrarij sunt humoris, aut à quibus læsi fuimus.

§. I.

Toleranda ingeniorum diversitas.

Hic opus, hic labor est, quia natura vincenda, quæ sibi simile, & benevolentiam conjunctum cum voluptate diligit, ab aliis, quia difficile, evertitur. Quod enim secundum naturam est, jucundum est, ait Aristoteles; hinc graculus graculo libenter affidere dicitur. Inter Jacob & Esau, licet eodem utero prognati, duo sub eodem tecto vixissent, concordia non fuit, quia, inquit Ambrosius, cum unus prædurus esset, & alter mansuetus, inter dispares mores & compugnancia studia benevolentia esse non poterat.

Hugo de S. Victore libro de medicina animæ, tantam ostendit esse inter ingenia hominum discrepantiam, quantam videmus esse inter quatuor anni tempesta-

tes : & sanguineos quidem veri phlegmaticos verò autumno, cholericos ætati, melancholicos hyemi similes facit : quos ita inter se humoribus, & moribus plerumque pugnantibus si agglutinare velis, naturæ vires si spectes, operam ludes ; si gratiam confulas, & charitatem, quæ à Spiritu sancto diffusa est in cordibus nostris, attendas ; cum patientia & mansuetudine, constantique industria ad eò inter se pugnantia ingenia Amoris sancti vincula colligabis.

Ad hanc perfectionem nos evehere voluit Christus in parabola hominis à latronibus sauciati, dum Samaritano cum Judæis parum consentiente, misericordis & medici ac amici sincerissimi partes & officia attribuit, nobisque illum quodammodo proponit in exemplum, dum dicit : *Vade, & tu fac similiter.*

Si dixeris hoc videri valde durum ; respondebo tibi cum Terulliano : *Virtus duritia exaruitur, molitio destruitur.* Hortabor te, ut virtutem in suâ pulchritudine virilem & robustam aspicias, malisque ita illam amplecti quam voluptatis aut utilitatis alicujus fuco decoloratam. Producam tibi consiliarium S. Ioannem Baptistam, qui clienti suo ob Prælati duritiam & severitatem monasterium deserere cogitanti de celo

Qqq 2 appa-

2.
Ferdus
qui con-
traria est
indolis.

3.
Hæc con-
tarietas
& materia
coronæ
monente
S. Jo. Bap.

L. 8. Et hic.

L. 1. Off.

1.
Quanta
ingeniorum
diversitas.

& c. s. s.
du oppo-
tune co-
rigenda.